



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] fictio impediat effectum baptismi? 9

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

Ad tertium dicendum, quod diuersa capacitas naturalium in hominibus, non est ex diuersitate mentis, quæ per baptismum renouatur, cum omnes homines eiusdem speciei existentes in forma conueniant: sed est ex diuersa dispositione corporum. Secus autem est in angelis, qui differunt specie. Et ideo angelis dantur dona gratuita secundum diuersam capacitatem naturalium: non autem hominibus.

Ad quartum dicendum, quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi: sed est quoddam miraculosum opus prouidentie diuinæ.

ARTIC. IX.

Vtrum fictio impediat effectum baptismi?

404

AD nonum sic proceditur. Videtur, quod fictio non impediat effectum baptismi. Dicit enim, Apostolus Galat. 3. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sed omnes qui baptismum Christi suscipiunt, baptizantur in Christo. Ergo omnes induunt Christum, quod est percipere baptismi effectum. Et ita fictio non impedit baptismi effectum.

4. d. 4. q. 9.
2. a. 1. q.
1. ad 3. et
q. 3. ar. 2.
q. 2. p. 10.
Et d. 21.
q. 2. ar. 1.
q. 3. ad 3.

¶ 2 Præterea, In baptismo operatur virtus diuina, quæ potest voluntatem hominis mutare in bonum. Sed effectus causæ agentis, non potest impedi per id, quod ab illa causa potest auferri. Ergo fictio non impedit baptismi effectum.

¶ 3 Præterea, Effectus baptismi est gratia, cui peccatum opponitur. Sed multa sunt alia peccata grauiora, quam fictio, de quibus non dicitur, quod effectum baptismi impediunt. Ergo neque fictio impedit effectum baptismi.

SED contra est, quod dicitur Sap. 1. Spiritus sanctus, disciplinæ effugiet fictum. Sed effectus baptismi est à Spiritu sancto. Ergo fictio impedit effectum baptismi.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut Damasc. dicit*) Deu. non cogit hominem ad iustitiã. Et ideo ad hoc quod aliquis iustificetur per baptismum,

lib. 2. or. 6.
fid. c. 30.

num, requiritur quòd voluntas hominis amplectatur baptismum, & baptismi effectum. Dicitur autem aliquis fictus, per hoc quòd voluntas eius contradicit vel baptismi, vel eius effectui. Nam secundum August. quatuor modis dicitur aliquis fictus. Vno modo ille qui non credit, cum tamen baptismus sit fidei sacramentum. Alio modo per hoc, quòd contemnit ipsum sacramentum. Tertio modo per hoc, quòd aliter celebrat sacramentum, non seruans ritum ecclesie. Quarto modo per hoc, quòd aliquis indeuotè accedit. Vnde manifestum est, quòd fictio impedit effectum baptismi.

Ad primum ergo dicendum, quòd baptizari in Christo, potest intelligi dupliciter. Vno modo in Christo, id est, in Christi conformitate. Et sic quicumque baptizantur in Christo, conformati ei per fidem & charitatem induunt Christum per gratiam. Alio modo dicuntur aliqui baptizari in Christo, in quantum accipiunt sacramentum Christi. Et sic omnes induunt Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiæ.

Ad secundum dicendum, quòd quando Deus voluntatem hominis de malo in bonum mutat, tunc homo non accedit fictus: sed non semper hoc Deus facit. Nec ad hoc sacramentum ordinatur, vt de ficto fiat aliquis non fictus; sed vt non fictus aliquis accedens, iustificetur.

Ad tertium dicendum, quòd fictus dicitur aliquis ex eo, quòd demonstrat se aliquid velle quòd non vult. Quicumque autem accedit ad baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habere, & sacramentum venerari, & velle se Christo conformari, & velle a peccato recedere. Vnde quicumque peccato vult homo inhaerere, si ad baptismum accedit, fictus accedit: quòd est indeuotè accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali, quòd gratiæ contrariatur, non autem de peccato veniali. Vnde fictio hic quodammodo includit omne peccatum.

A R-

* al. Ec-
clesiæ cõ-
formari